



Specimen academicum inaugurale de depressione et extractione cataractae inter se comparitis

<https://hdl.handle.net/1874/316390>

B

SPECIMEN ACADEMICUM INAUGURALE

DE

DEPRESSIONE ET EXTRACTIONE CATARACTAE
INTER SE COMPARATIS.

ANNUAL REPORT OF THE STATE BOARD
OF EDUCATION

SPECIMEN ACADEMICUM INAUGURALE

DE

DEPRESSIONE ET EXTRACTIONE CATARACTAE
INTER SE COMPARATIS,

QUOD,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

GERARDI JOHANNIS MULDER

MATH. MAG., PHIL. NAT., MED. DOCT. ET PROF. ORD.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU,

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

Pro Gradu Doctoratus

SUMMISQUE IN

MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA


RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

ARNOLDUS DANIEL RENEMAN,

Ex urbe Almelo.

A. D. I. MENSIS JULII, ANNI MDCCCLIII, HORA VI.



TRAJECTI AD RHENUM,

APUD G. F. KOCH.

MDCCCLIII.

P. W. VAN DE WEYER, TYPIS MANDAVIT.

MATRI CARISSIMAE

NEC NON

FRATRI AMANTISSIMO,

S. S. MIN. CAND.

HASCE STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS OMNI PIETATE

ATQUE AMORE

D. D. D.

AUCTOR.

BRITISH LIBRARY

PRAEFATIO.

*Ad academici curriculi metam cum pervenerim, lege
jubente, hoc qualemque scripsi opusculum, cuius tenui-
tatem ut benevolus lector excuset, enixe equidem rogo,
probe sciens sentiensque, multa in eo eaque gravia deesse.
Scripsi nimirum ut potui, non ut volui; nequaquam ut
alios docerem, verum ut ipse discerem. Illud autem
quam maxime mihi laetandum duco, quod occasionem
nactus sum opportunam publice gratias agendi debitas
omnibus, qui mihi per spatium academicum fuerunt pre-
ceptores aestumatissimi. Quod vero priusquam faciam,
dulcius etiam mihi incumbit officium palam nempe decla-
randi, quam plurima me tibi debere, mater carissima,
pro tot tantisque in me collatis beneficiis. Mors eheu*

*praematura conjugem tuum, patrem meum venerabilem,
eripuit, Sed quid juvat nefandum illum dolorem
renovare? Quod Deo placuit, placeat nobis. Tu maximo
me semper amore maximaque cura persecuta es. Quanta
tibi debeam, referre nullo modo possum. Nunquam tua
erga me beneficia oblitus sum. Accipe, quaeso, hasce
grati filii studiorum primitias. Utinam D. O. M. vitam
tuam, mihi carissimam, diu incolumem servet! Toto pectore
illud etiam atque etiam a Patre Omnipotente precor!*

*Neque tui obliviscar unquam, frater amantissime!
Tibi etiam hocce qualemque opusculum est dicatum,
tibi, mi frater unice, qui eodem tempore tecum studiis
operam navasti. Instat laetus ille dies, quo laurea doctoris
me manet, quo summos in medicina, ut spero, consecu-
turus sum honores. Tu academicis studiis paucis abhinc
mensibus finem imposuisti. Ambo mox, Deo volente, in
diversis verosimiliter locis civitati prodesse conabimur.
Separatos etiam semper nos jungat fraternalum illud amoris
vinculum, quo vix quidquam arctius cogitari possit!*

*Atque nunc quidem ad vos se convertit oratio mea,
Matheseos et Philosophiae naturalis Ordinis professores,
viri clarissimi! gratias accipite, quas vobis habeo, maximas
pro singulari, qua me prosecuti estis, humanitate, pro
institutione vestra, pro consiliis.*

Ad vos autem quum pervenio, Medicae Facultatis

*Professores, Cl. Suerman, Schroeder van Kolk, Loncq,
Donders, van Goudoever, dici vix potest, quid animo
sentiam! Frustra vestram et institutionem et humanitatem
verbis extollere conarer. Sufficiat dixisse, omnes, quos
in medicis disciplinis fecerim, progressus vobis me debere.
Sinceritas accipite, quas vobis ago, gratias illudque vobis
persuasum sit, gratum erga vos animum nunquam me
depositurum. D. O. M. diu vos servet in patriae disci-
plinarumque commodum!*

*Non possum, quin te imprimis alloquar, clarissime
Loncq, promotor aestumatissime! qui ad aegrotantium
lectulos non opinionum commenta, sed naturae judicia,
quae dies nulla delebit, magni facere me docuisti.
Quoties scholis tuis sive theoreticis sive practicis interfui,
toties equidem incertus eram, utrum magis praceptorum
an medicum admirarer. Gratiam meam accipias intimam
cum pro egregiis tuis institutionibus, tum pro auxilio,
in corrigendo hocce libello mihi praestito. Sit tibi vita
longa et beata in tuorum, hujus academie aegrotantium-
que salutem!*

*Quid tibi dicam, clarissime van Goudoever, qui et
argumentum hujus speciminis mihi proposuisti, et in eo
conficiendo consiliis magna que tua doctrina mihi adfuisti,
et vero auxilia ex librorum snppellectili tuo pretioso non
solum non recusasti, sed largiter suppeditavisti. Nun-*

quam nec tui nec hujusce erga me benevolentiae oblitrurus sum. Semper mihi nobile tuum exemplum ante oculos versabitur. Diu cum omnibus, qui vobis cordi sunt, in studiorum et studiosorum salutem vivas!

Valete et vos, commilitones carissimi! Amicitiae vinculum, quod per plures deinceps annos nos tenuit, meus vesterque ab hac Musarum sede discessus ne disrumpat! Mei memores estote, ego vestri memor ero.

CONSPECTUS.

CAPUT I.

DE LENTIS DEPRESSIONE.

- § 1. *Descriptio operationis.*
 - § 2. *De sequelis operationis:*
 - a. quod attinet ad lentem;
 - b. quod attinet ad ceteras oculi partes;
 - c. quod attinet ad universum corporis organismum.
-

CAPUT II.

DE LENTIS EXTRACTIONE.

- § 1. *Descriptio operationis.*
 - § 2. *De sequelis operationis:*
 - a. quod attinet ad oculum;
 - b. quod attinet ad universum corporis organismum.
-

CAPUT III.

QUID DOCUIT EXPERIENTIA DE EVENTU UTRIUSQUE OPERATIONIS?

CAPUT IV.

CONCLUSIO.

Qui ad observandum adjicet animum, ei etiam in rebus, quae
vulgares videntur, multa observatu digna occurunt.

BACO.

CONSPECTUS.

CAPUT I.

DE LENTIS DEPRESSIONE.

- § 1. *Descriptio operationis.*
 - § 2. *De sequelis operationis:*
 - a. quod attinet ad lentem;
 - b. quod attinet ad ceteras oculi partes;
 - c. quod attinet ad universum corporis organismum.
-

CAPUT II.

DE LENTIS EXTRACTIONE.

- § 1. *Descriptio operationis.*
 - § 2. *De sequelis operationis:*
 - a. quod attinet ad oculum;
 - b. quod attinet ad universum corporis organísmum.
-

CAPUT III.

QUID DOCUIT EXPERIENTIA DE EVENTU UTRIUSQUE OPERATIONIS?

CAPUT IV.

CONCLUSIO.

quam humor vitreus, quam tamen nemo, eo excepto,
secutus est.

Ad diversas has methodos instituendas *keratonyxis*
atque *scleroticonyxis* adhiberi possunt. Keratonyxis nunc
quidem fere oblivioni est tradita, atque L. A. Desmarres
in opere, quod inscribitur »Traité des maladies des yeux» pag.
594, sic de ea loquitur. »La kératonyxis est loin d'être
d'une exécution plus facile que la scleroticonyxis, et ne
paraît devoir être conservée que pour des cas très excep-
tionnels. Elle est depuis longtemps à peu près aban-
donnée en Allemagne, par ceux-là même qui la pré-
féraient à toute autre méthode. Presque personne,
excepté M. le docteur Bourgeot Saint-Hilaire, ne
l'exécute plus en France, du moins à titre de méthode
générale. C'est seulement lorsque l'oeil est très petit
et très enfoncé dans l'orbite, comme chez quelques en-
fants atteints de cataracte congéniale, que la kératonyxis
est indiquée. Qu'on se garde de croire cependant que
chez ces sujets mêmes elle ne puisse être remplacée
par l'abaissement sclérotical.”

Nostro igitur tempore fere sine exceptione sclerotico-
nyxis adhibetur ad cataractae depressionem instituendam,
cujus descriptionem nunc aggrediemur.

Depressio lentis *directa*, quo nomine illam operationem
intelligimus, qua lens, absque eo ut circum axem vertatur,
in humore vitreo deprimitur, vi, vectis ratione, institutâ
atque ad lentis marginem superiorem adductâ, sclerotico-
nyxi adhibita, non optatos habet successus; partim
quia acus non sine difficultatibus lentis marginem supe-
riorem attingere potest, ita ut ejus mucro corpus ciliare
non laedat; partim quoniam acus facile de margine lentis

superiore delabitur, atque hanc ob causam abducitur ante seu *pone* lentem, depressione ejus non peractâ. Quamobrem in multis casibus depressio directa male succedit. Itaque non dubitandum, quin etiam reclinatio adjungenda sit; depressio igitur cum reclinazione juncta ad operationem felici successu peragendam requiritur atque in pluribus etiam vel cunctis potius cataractae depressionibus locum habet.

In omnem cataractae manu curandae methodum haecce valet regula: *quo sanior homo, eo faustior prognosis.*

Quod nunc attinet ad curam sic dictam praeparatoriam jam satis superque patuit, illam fere semper non tantum superfluam esse, sed non raro noxiis sequelis conjunctam. Fieri autem potest, ut dyscrasia quaedam, arthritica, scrophulosa, syphilitica, alia adsit; quo in casu ante omnia haec est emendanda. Exanthemata cutis chronica non solum non nocent, sed tanquam derivantia de oculo a nonnullis habentur. In multis tamen aliis casibus cura sic dicta praeparatoria instituitur, in quibus melius esset ab illa abstinere. Prudentia igitur laudanda, qua, si nihil obstat, illis, in quibus operatio instituenda est, idem vitae regimen, cui assueti sunt, conceditur.

Secundum nonnullos aegrotantibus magnopere expedit, jam antea sibi conscos esse diei, imo horae operationis, quam sibi proposuit chirurgus, quum omnino eo studere oporteat, ut illi, qui operationi submittantur, eam ipsam vel levem habeant, vel certe non adeo terribilem. Nequaquam tamen convenit ut aegrotantes diu ante operationem diem quo perficietur cognoverint; praestat interdum eos diem plane ignorare.

Pridie constitutam operationem, interdum jam pra-

cedentibus quoque diebus, oculo instillanda est solutio extracti hyosc. sive bellad. scr. $\frac{1}{2}$ in aquae dest. drachm. i vel etiam solut. sulph. atrop. (gr. ii—iv in aq. dest. unc. i) ad pupillam dilatandam.

Lumen per unam modo fenestram oculum penetrare debet, ceterasque fenestras, quantum possit, clausas esse oportet, quia alioquin luminis veluti tremor locum haberet, qui operationem turbaret. Alter oculus, durante operatione, clausus esse debet. Aeger talem positionem assumat, ut ipsius oculus humero respondeat illius, qui operationem faciet. A tergo aegri positus sit minister, qui, si oculus dexter operationi submittitur, manum suam sinistram in aegri mento ponit et sic caput contra suum pectus premat, dum manu dextra palpebram superiorem elevatam teneat. Chirurgus talem sibi eligat positionem, ut aegri crura inter sua sint posita; deinde manus dextrae duobus prioribus digitis palpebram inferiorem deprimit, dum operationem manu sinistra perficit. In operatione oculi sinistri manus in ratione opposita adhibentur.

Atque his quidem commemoratis, quae fere, cum aliqua modo differentia, quamcunque cataractae operationem praegredi debent, nunc pergendum est ad ipsam depressionem per scleroticam describendam, quae quam commodissime in tres partes dividi potest. Distinguuntur scilicet:

- 1°. Acus inductio in oculum.
- 2°. Depressio lentis.
- 3°. Acus eductio ex oculo.

1º. Acus inductio in oculum.

Ad hanc perficiendam adhibetur acus, cuius tot diversae species dantur, ut longum foret et ab instituti nostri ratione alienum omnium descriptionem dare.

Antea in usu erat acus recta, conica atque subtilissima, chalybea, argentea vel aurea. Hoc tempore etiam, imprimis in Germaniâ, acus recta Beerii in usu est. Acus Sieboldii, Schmidtii, Graefii et Himlyi, uti Beerina, formam habent rectam. Attamen acus curvatae Hegi, Scarpaæ et Dupuytreni generaliter meliores habentur, quam rectae, utpote magis aptae ad lentis capsulam dividendam atque ipsam lentem dimovendam.

Scarpiana autem acus in pluribus casibus adhibetur. Habet tantummodo longitudinem 41 millimetrorum atque exit in mucronem curvatum, aliquatenus laxatum; laevigata est in superficie convexa; in ejus superficie concava invenitur eminentia, quae duas planities curvatas conjungit. Manubrium deinde octagonon est; in parte ejus anteriore observatur punctum nigrum, quo chirurgo acus directio indicetur, quum in oculo est posita hujusque telis condita.

Tale instrumentum in se conjungit omnia, quae requiruntur, atque omnes mutationes, quae inservirent ad ejus perfectionem, inutiles fuerunt.

Praeterea hac in re observandum, chirurgum peritum fere aequo bene acu rectâ quam curva uti posse, cuius rei nobis Assalini, vir captivus, singulare exemplum praebuit. Ille nempe, nullum aliud instrumentum nisi acum simplicem possidens, cataractæ operationem insti-

tuit in duabus feminis coecis, et quidem optimo cum effectu.

Acum igitur, cujuscunque etiam formae, quum alias curvatam, alias rectam eligat, chirurgus teneat inter pollicem, digitum medium atque indicem, dum digitum annularem vel in palma manus vel etiam commodi causâ cum digito minimo tenet in regione zygomatica. Deinde aegrum monet, ut oculum ad nasum vertat, et nunc tempus opportunum exspectat, quo acum demittat, ubi experientia docuit optimum esse, nempe in oculi partem exteriorem, lineam circiter supra diametrum oculi transversum; (ita namque arteriae ciliaris longae laesio evitatur) atque $1\frac{1}{2}$ usque ad 2 lineas a cornae margine, ne laedantur processus ciliares, et quidem oblique a parte anteriore ad posteriorem. Hoc ipso in loco chirurgus acus mucronem ponit, et quidem ita ut acus muero angulum rectum faciat cum parte scleroticae, cui inducenda est: si vero adhibetur acus curvata, tunc superficies convexa supra, concava vere infra versa esse debet et manubrium aliquatenus infra vertatur.

In hac igitur positione quam celerrime acus ad medium suae curvatura per scleroticam demittitur, ne oculus instrumentum evitet, sed simul ejus ope confirmetur atque figatur. Quum acus jam eo usque penetraverit, manubrium ejus supra vertitur, dum eodem tempore inter digitos circum axem vertitur, ita ut tota acus accipiat positionem horizontalem atque superficies mucronis convexa iridem versus, concava vero ad lentis capsulam vertatur. Tunc acus manubrium quam maxime vertitur ad aegri tempora atque acus ipsa lentâ ratione transducitur uveam inter et capsulae lentis partem ante-

riorem, per medium planum pupillare, ut acus mucro evanescat pone marginem pupillae oppositam, quod primae operationis parti finem imponit.

2º. Depressio lentis.

Acu igitur hoc modo ratione horizontali in posteriore oculi camera positâ, mucrone aliquatenus supra atque introverso, et hanc ob rem transverse ante lentem posita, ad ipsam depressionem instituendam duae methodi exstant.

1º. Depressio lentis una cum capsula.

2º. Capsulae lentis incisio ante depressionem, quae magis praferenda, imprimis quando lens est magna atque pro parte mollis.

Antequam ipsa deprimitur lens, oportet vulgo ut eius capsula acus mucrone dividatur, et quidem, si fieri potest, cruciata incisione, dein acus manubrium aliquatenus infra vertitur, ut acus sic ad lentis marginem superiorem usque attollatur, quo loco tum planities ejus excavata collocatur; post haec acus manubrium supra tenditur, qua ratione lens leniter premitur a parte anteriore posteriorem versus, et a parte superiore inferiorem versus atque cataracta paululum deprimitur; deinde acus quidquam attollitur, ut in priorem positionem redigatur. Bis seu ter idem adhuc repetitur, donec lentis crystallinae margo superior ex pupillae parte, cum eo conveniente remotus sit; tunc acus latitudo in lentis partem tertiam superiorem adducitur atque manubrii motione a parte inferiore superiorem versus cataracta penitus in humoris vitrei profunditatem deprimitur.

Aeus si adhibitur curvata, tum ejus concavitatem apud hanc motionem infra versam esse oportet. Nunc adhuc lens circiter minutam horae confirmata tenetur, ut lentem tegendi opportunitas humoris vitreo tribuatur.

3o. *Acus ex oculo eductio.*

Si hoc igitur modo cataracta ex plano pupillari remota est, tum acus extractio ex oculo eadem ratione fieri debet, quam in oculum inducta est.

Incipiendum est ab acus extractione ex oculo ad mediam ejus curvaturam, motione circumvolvente in directione horizontali. Tum acus positio mutatur atque illi datur eadem positio, quam, durante inductione, habuit, ita ut ejus mucro recto angulo per vulnus reducatur. Ad hoc perficiendum acus manubrium aliquatenus infra moveri oportet; qua positione quam celerimac acus ex oculo retrahitur. Atque his quidem peractis statim oculum claudi, necesse est.

§ 2

DE SEQUELIS OPERATIONIS.

A. *Quod attinet ad lentem.*

Paragrapho antecedente igitur ipsa depressione explicita, in humore vitreo depressam lentem reliquimus, atque jure in hac rerum conditione quaestio institui potest, num lens a capsula liberata in oculi bulbo immu-

tata retineatur, an vero mutetur et quasnam subeat mutationes post peractam operationem.

In hisce tenebris quid luminis afferre, imprimis tradendo, quid ad hanc quaestionem illustrandam prioris, imprimis autem posterioris aevi investigationes docuerint, jam nunc conabor.

Res profecto mira est et extraordinaria, ut in antiquioribus, ita in recentioribus etiam operibus, non nisi perpaucas occurrere sectiones accuratas, institutas in oculis, qui antea cataractae operationem subierant, quum praeterea et quam saepissime fere nulla alia mutatio organica commemoretur, nisi lentis resorptio.

Sic A. Scarpa in opere »Traité des maladies des yeux, vol. II, pag. 75» tres tales casus nobis reservavit.

»Primum casum,» inquit Scarpa: »observavi in Parviensi, 60 annos nato, qui diem supremum obiit, anno postquam cataractae operatio depressione instituta fuerat in oculo ejus dextro. Alter casus cernebatur in foemina honesta, quadraginta annos nata, quae moriebatur tribus annis post institutam depressionem. Tertius casus erat vir, quinquaginta annos natus, qui diem supremum obiit circiter tribus annis et dimidio, postquam eandem operationem subierat.

In horum casuum primo lentem inveniebat in humore vitreo profunde depressam atque reductam circiter ad tertiam partem ejus ambitus normalis, atque in ceteris duobus casibus fere nihil totius lentis in humoris vitrei profundis inveniebat, nisi nucleum, ad magnitudinem circiter capitatis aciculae ordinariae.

Sic dicit Acrel in opere: »Chirurgische Vorfälle» aus dem Schwedischen übers. von Murray, vol. I.

pag. 109. »Cataractae operationem depressione institui in rustico, cujus ambo oculi cataracta erant affecti. In oculo sinistro inflammatio rheumatica iterum visum perturbavit et aliquo tempore post mortuus est.

Acrel tunc inquisivit oculum sanum, quo rusticus post operationem bene viderat, nec lentis depresso minima quidem pars reperiebatur.

Earle (Vid. Himly ophthalmologische Bibliothek. Bd. I. St. i. pag. 146.) in juvene coeco 17 annos nato cataractae fluidae operationem per scleroticam instituebat; vehemens oriebatur inflammatio; visus autem plane restituebatur, pupillaque clara erat. Quinque mensibus post operationem hydrope diem supremum obiit. In oculis apertis nullum cataractae vestigium supererat, pupilla erat clara atque rotunda, et spatium, in quo cataracta posita fuerat, nunc humore vitreo pellucido repletum inveniebatur.

Causa, quae tam diu hanc rem suspensam detinuit, imprimis est quaerenda: primo loco in eo, quod cataracta fere nunquam mortem inferat, atque igitur in cadaveribus non nisi raro occurrat, et, etiamsi occurrat, vulgo non detegatur; secundo in eo, quod oculus, imprimis pars pellucida, mutationibus subjectus est tam celeribus post mortem, ut non nisi accuratâ consideratione omnium, quae ejus formam, pelluciditatem atque chemicam mutant compositionem, vitae status praegressus definiri possit; tertio in eo, quod non semper adest opportunitas, qua statim post mortem oculus inquiratur atque aperiatur ea cum accuratione, qua necesse est propter teneram ejus structuram, quae alioquin facillime investigatione perturbari posset.

Quod hodie plura nobis cognita sunt de iis, quae lentem spectant post peractam depressionem, imprimis adscribi debet viro clar. W. Soemmeringio, in cuius museo hac de re per pulchra conservantur in alcoholе præparata, quorum præstantes figuræ occurunt in ejus opusculo »Beobachtungen über die organischen Veränderungen in Auge nach Staaroperationen» sicut etiam quaedam ipsius observationes, quas breviter hoc loco commemorare mihi proposui.

Observatio prima.

Mense Mayo anni 1814 investigabat, durante vita, oculum sinistrum viri, triginta quatuor annos nati, apud quem Melchior, Gissanus, dimidio anno ante cataractam reclinaverat. Decursus post operationem tam faustus fuerat, ut jam ab undecimo inde die, luminari ad cataractam (staarbil) armatus, crassas legere posset litteras. Oculi ejus erant permagni, protuberantes atque valde coerulei et primo obtutu fere nulla differentia in duabus oculis observabatur. Accuratio autem oculi sinistri investigatio docebat, pupillam ejus pari luminis affectione aliquantulum magis esse dilatatam quam alterius oculi. Planum iridis anterius erat excavatum atque ratione infundibuli formatum, ita ut camera oculi anterior major esset, quamobrem oculus referebat adspectum peculiarem languidum. Simul observabatur satis gravis *iridodenosis*, tamen non gravior quam in oculo dextro, qui ad mortem usque plane in statu sano versabatur. Octo atque dimidio annis post operationem vir ille commemoratus

hydropoe universali extinctus est. Soemmeringius tunc investigabat oculum sinistrum, viginti quatuor horis circiter post mortem, die septimo mensis Julii, anno 1822: primo loco in latere sub aquâ ad corneae refractionem tollendam atque hoc modo in oculo aperto veram iridis positionem videndam. Hoc modo clare concavitatem observabat, jam antea commemoratam plani iridis anterioris. Deinde oculi bulbo prudenter ita discessit ut in duas partes aequales in anteriorem scilicet atque posteriorem divideretur, humor vitreus statim effluebat, attamen perclarus, prouti plerumque cernitur apud synchysin veram. De lente nihil amplius supererat atque tota uvae superficies nigra erat; tantummodo in processibus ciliaribus inferiora versus videbatur corpusculum ex cinereo album, magnitudinem fere seminis papaveris albi referens. Oculi pars anterior nunc deponebatur in alcoholе, eo effectu, ut altero die in loco capsulae invenirentur duo segmenta subalbida, turbida, semilunata, membranacea, denotata substantia ex flavo albâ turgidâ atque cascaria, quac uvae partem majorem tegebat. Ambo segmenta, quorum supraversum minus erat infra verso, spatio plani pupillaris distabant. Nec amplius dubitabam »sic pergit Soemmeringius» quin essent capsulae lentis reliquiae, alcoholе turbidae factae, atque antea a me non observatae. Tantummodo in margine in zonulâ Zinnii confirmata erant atque ceteroquin libere ante uveam fluctuabant, nec ulla ratione cum ea cohaerentia, quam ob causam nequaquam esse possent exsudationes plasticae, iritidem secutae. Capsulae pars media, plani pupillaris medio respondens, verosimiliter acu erat extracta atque depressa in humore vitreo, ubi tunc corpusculum album reperiebatur, quod,

quamvis parvum, satis dilucide demonstrabat, quantulum per octo annos resorptum esset. Lens contra videbatur plane resoluta atque resorpta.

In hocce oculo nulla omnino separatio inveniebatur humoris aquei vitreique, ita ut utriusque densitas eadem esset atque etiam in alchohole nullum observaretur hyaloïdeae vestigium in regione pupillæ oppositâ, quo facto facilime explicari potest *iridodenosis*, qua acger antea laboraverat.

Observatio secunda.

Vir, octoginta tres annos natus, in marasmo universali cataractam in utroque oculo habebat.

Die 27 mensis Julii, anni 1821, reclinatio instituebatur in oculo dextro, primo cataractâ affecto. Lens, uti vulgo hac aetate, praedura erat atque cum media parte capsulae detracta in ima humoris vitrei parte facile deprimebatur. Post operationem tantummodo oriebatur rubor levis, tamen sine ullo fere dolore et photophobiâ atque quatuordecim circiter diebus post, oculus habebatur statu satis fausto. Visus quoniam adhuc debilis, objecta valde luminosa tantum distinguere valebat, dum spatium quorundam mensium prosperam in visum habebat vim et efficacitatem. Tredecim mensibus post operationem fato senili cedebat, et triginta sex horis post mortem oculus pervestigabatur. Circum corneam latus aderat arcus senilis, humor vitreus non liquidior erat quam in statu normali atque plane pellucidus. Lens dura, ex fusco flava, disissa in diametro tantum habebat duas lineas parisienses, atque jacebat in oculi profun-

dis satis immobilis in humoris vitrei excavatione; circumvoluta texturâ fibrarum, crassitie aductarum, membranae hyaloïdeae. Uvea obscura, subnigra, plane pura videbatur atque pupilla praeterea praeclara erat. Ope alcoholis jam brevi in conspectum veniebat annulus, antea invisibilis, sensim sensimque turbidus factus, qui tandem plane ex albo flavesiens erat atque opacus et non plane pupillae latitudinem aquabat.

In hoc casu perspicue tredecim mensium spatio extrema tantum strata lentis, cataractâ affectae, in humore vitreo dissoluta erant atque resorpta; dum contra nucleus valde durus in membrana hyaloïdea pressione effecerat levem inflammationem atque simul soliditatem localem et concretionem.

Observatio tertia.

Vir caeterum sanus atque robustus, 74 annos natus, aliquo tempore laboraverat oedemate pedum et faciei emaciacione. Sensim sensimque primum in oculo dextro atque postea in oculo sinistro lens cataractâ erat affecta, quae in nucleo profundioris coloris atque majoris densitatis videbatur quam in reliqua parte.

Die 2 mensis Julii anni 1821 reclinatio per scleroticam in oculo dextro peragebatur. Operatio tam faustos edidit effectus, ut coecus antea fere eodem tempore visu gauderet. Nec aliud quid ex operatione sequebatur, quam inflamatio nullius momenti, quae quidem non diu observabatur. Pupilla plane nigra videbatur atque per luminare ad cataractam (staarbril), cui distantia centra-

lis (brandpuntsafstand) erat quinque pollicum atque novem linearum, brevi majores literas libri sui, hymnos sacros continentis, facile legere poterat.

Die 10 mensis Septembris, ejusdem anni, eadem operatio in oculo sinistro instituebatur aequi felici cum eventu. Aliquo tempore elapso, in utroque oculo vicissim oriebantur leves inflammationes, quae tamen omnes evanescabant, nulla visus turbatione relictâ.

Die 22 mensis Augusti anni 1823 vir ille mortuus est hydrothorace acuto atque 24 horis post oculorum investigatio fiebat.

In utroque oculo humor vitreus fluidior erat quam in statu normali, ut in hydrope saepius observatur. In utroque oculo cataracta per hosce duos annos reducta erat circiter ad dimidium in diametro transversa; cataracta ad partem anteriorem paulo planior erat, ad partem posteriorem parum ad coni formam accedens cum margine valde acuta; tactu dura et in superficie scabrosa atque colorem habebat ex fusco flavum, prouti electron turbidum. Uterque oculus etiam hoc loco perspicue ostendebat, strata extrema cataractae molliora multo faciliter dissolutioni esse objecta, quam nucleus, qui durioris est substantiae.

In multis casibus praeterea cataractâ nondum resorpta pressio sustinebatur in processus ciliares atque retinam, quae tunc observatur ut processus chronicus inflammatorius atque saepe habita est inflammatio rheumatica sive arthritica. Frustra autem, uti facile intelligitur, externe et interne adhibita sunt medicamenta anti-rheumatica et anti-arthritica.

Observatio quarta.

Vir doctissimus Emden apud feminam, septuaginta tres annos natam, bono cum effectu in ambobus oculis cataractam reclinaverat, atque postquam jam per aliquod tempus in contactu fuerant cum solutione mercurii sublimati corrosivi, eos viro clarissimo W. Soemmerringio, investigandi causa, tradidit.

Post operationem nullum fere inflammationis vestigium aderat atque octo diebus post femina domo exire poterat. In oculo sinistro cataracta iterum adscendebat, quam ob rem tribus mensibus post denuo instituebatur operatio. Pars tamen cataractae semper videbatur inferne post pupillam, quod tamen non impedivit, quominus femina bono gauderet visu ad mortem usque, quae tribus annis post secuta est.

In investigatione hujus oculi sinistri tota cataracta, quoad magnitudinem, non valde mutata inveniebatur, tamen magis inaequalis et scabrosa atque, quod peculiare erat, capsula prorsus circumdata.

Hoc igitur in casu non difficile est explicatu, quam ob causam lens opaca per tres annos fere immutata manserit, quamquam operatio bis peracta erat; nam in contactu non fuerat cum humore aqueo atque vitro.

Tamen notandum, quod hujus cataractae pressio continua non graviorem inflammationem produxisset.

Observatio quinta.

Examen oculi dextri ejusdem viri, in quo vir doctissimus Emden simili modo reclinacionem instituerat, multis in rebus majoris erat momenti. Visus, quo aeger, instituta operatione, gavissus erat, sensim sensimque inflammatione levi quidem, sed continuâ ita diminutus erat, ut dimidio anno ante mortem, accedente graviori inflammatione, plane evanisset. Pupilla autem semper clara atque nigra erat. Corneâ atque iride prudenter sublatis, nova videbatur quasi secunda iris, parvâ pupillâ instructa, quae evidenter nihil aliud erat, quam capsula lentis mutata, quae in depressione annuli instar manserat suspensa ligamentis ciliaribus, quaeque jam hac parvâ aperturâ limitata erat. In margine ligamentorum ciliarium inferiore perspicue observabatur aliqua excavatio, in qua sine dubio lens depressa posita fuerat; circum eam retina plicata erat atque firmius cum chorioïdea concreta; utraque tegebatur membranâ satis crassa, quae originem suam ducere videbatur ex membrana hyaloïdea incrassata atque texturis membranaceis nove formatis, quae omnia secuta erant hunc processum continuum inflammatorium, jam antea commemoratum, qui pressione cataractae hocce loco ortus atque sustentatus erat. Textura illa membranacea nove formata sese extendebat super magnam retinac partem in fundo oculi, qua in re fere sine dubio praecipua causa est quaerenda, cur visus lente evanisset, quamquam satis magna copia radiorum luminis pupillam transire possent ad imaginem claram in retina provocandam. Nullae lentis reliquiae supererant atque haud dubium est, quin ea soluta atque resorpta sit.

In hoc igitur oculo dextro observabatur resorptio lentis completa, sub inflammationibus valde gravibus, cum exsudatione plasticâ atque visus destructione; dum in oculo sinistro lens fere immutata manserat, absque eo ut hoc in casu inflammatio gravior orta esset vel visus perturbatio.

Observatio sexta.

Haud minoris est momenti comparatio utriusque oculi infantis anniculi, cataractâ congenitâ affecti, apud quem vir doctissimus Stiebel in ambobus oculis keratonyxin instituerat. In oculo sinistro cataracta immutata manserat; in oculo dextro orta erat myosis. Duobus annis post operationem infans ille animam efflabat ejusque oculi in statu adhuc recenti investigabantur a viro doctissimo Stiebel et a Soemmerringio. Uterque oculus videbatur atrophicus; utriusque cornea parva erat. In oculo sinistro inveniebatur cataracta ex flavoalba, casearia, quoad positionem atque formam fere non mutata. In media parte posteriore lentis capsulae (in loco nempe, ubi vulgo arteria centralis retinae sese inserit) observabatur locus circumscripturn, rotundus, opacus, qui, ut sutura, pro parte lentem penetrare videbatur. Num vere sutura esset, post lentis divisionem orta, an vero origo cataractae congenitae habenda, non patebat. Humor vitreus normalis erat.

Observatio septima.

Oculus dexter ejusdem infantis adhuc magis atrophicus erat quam sinister; cornea erat perparva atque oblonga. Iris subnigra anteriora versus pressa erat; pupilla, magis inferne atque intro dimota, contracta erat circiter ad aciculae caput atque confirmata cum ejus margine subnigrâ in massam cinereum, pone eam jacentem. Scleroticâ dissectâ, humor vitreus effluebat fere aquosus, nonnullis flocculis albis mixtus. Dimidium oculi anterius fabricam suam penitus amiserat, quum cataractae primitivae magna pars evanuerat.

Eadem operatio, quae in altero oculo nullam fere cataractae mutationem attulerat, in altero oculo non tantum cataractam diminuerat, sed simul causa erat concreimenti atque mutationis organicae omnium partium, quae proxime lenti adjacebant, quum omnes, inflammatione excitâtâ, una inter se concreta essent.

Sequentia porro referuntur in Annalibus dictis
» Schmidt's Jahrbücher der gesammten Medicin, Jahrgang 1838. Bd. XIX, s. 78.

» Ueber den Zustand der Linse nach Staaroperationen;
von A. Retzius.

Prof. A. Retzius zeigte der medic. Gesellschaft zu Stockholm zwei geöffnete u. in Spiritus aufgehobene Augen eines an Cataracta gelitten habenden Mannes, der von ihm auf dem einem Auge mittels der Resection u. auf dem andern mittels der Depression operirt worden

war. Der Mann war später an einen Fieber gestorben, welches nicht in verbindung mit der Augenkrankheit stand. An dem Präparate fand man, dass eine Reproductio lentis vor sich gegangen war, u. dass die alten Linsen bedeutend aufgesogen worden waren. Retzius glaubt, dass dieses Phänomen der Linsenregeneration öfter bei Operirten vorkommt, indem die Kranken nach einiger Zeit weniger convexen Augengläser bedürfen u. am Ende ohne diese sehr gut sehen.

B. *Quod attinet ad ceteras oculi partes.*

Sequelae, quas depressio jam descripta in ceteris oculi partibus efficere posset, exoriri possunt:

- 1°. dum operatio peragitur.
 - 2°. post operationem peractam.
-

1°. Casus, qui exoriri possunt, dum operatio peragitur.

Oculi motus improvisus si accidit, dum chirurgus acum per scleroticam ducit, efficere potest, ut punctio non in loco definito fiat et ita aliae partes laedantur, e. g. cornea. Qui casus tamen facile evitantur, quum acus mucro paulatim locum appropinquit, ubi punctio efficienda est.

Si vase quodam laeso haemorrhagia interna oritur, operatio quam citissime est peragenda, ceteroquin enim

difficilis est, vel fieri omnino non potest, quia sanguis efficit, ut neque cataracta neque acus videantur.

Corporis ciliaris laesio raro reactionem vehementem producit, nec multum impedit salutarem operationis effectum.

Dum operatio fit, lens per pupillam in cameram oculi anteriorem incidere potest, quod facillime obtinet si pupilla nimis est dilatata. Quod si locum habet, cornea statim est aperienda, uti in extractione. Hoc enim si non fieret, iris nimis laederetur et iritis emicaret.

Si lentis particulae in cameram oculi anteriorem cadant, eas non extrahere praestat. Apud phacomalaciam hoc facile locum obtinet.

Etiam iris operatione valde laedi potest, si nempe, quod saepissime occurrit, synechia adest posterior, quae non est dignota. Nonnunquam iris, sequente haemorrhagiâ, dilaceratur, humore aqueo sanguine effuso rubefacto, cataracta veluti obtecta est.

Potest tandem acus mucro per operationem defringi, quod plerumque in cataractâ ipsâ fit. Hoc si obtinet, cataractae simul cum acus parte extractio tentanda est, ut oculi bulbi suppuratio, quae postea facile exoritur, praevertatur. Est haec enim consecutio magnopere infausta, jam a Pelliero observata.

Affirmat vir doctissimus Deval, virum clarissimum Juengken, hunc casum post reclinacionem, a chirурgo celebri peractam, exortum vidisse. Statim cornea aperiebatur et cataractae extractio una cum acus parte feliciter perficiebatur. Si particula deflecta valde parva est, consecutiones noxiae saepe non existunt; sed illa oxydatur et disparet. L. A. Desmarres (*traité des maladies des yeux*, pag. 571). J'ai observé moi-même

ce fait, inquit, dans un cas où j'opérais un vieillard; la pointe de l'aiguille se rompit sur le noyau du cristallin et aucun accident ne survint.

Secundum eundem auctorem Cline aliud tale exemplum citat, in quo mucro in cameram oculi anteriorem lapsus oxydabatur et sine damno disparebat.

II. Casus, qui post operationem accidere possunt.

Oriri primo loco potest conjunctivitis, secundo scleritis, ut nonnulli statunt. Fibrosa firmaque fibrosarum membranarum structura atque exiguis vasorum nervorumque, in iis dispersorum, numerus declarant, quamobrem harum membranarum vitae phaenomena, uti materiae mutatio et nutritionis negotium, tam tarde efficiantur et quam ob rem mutationes morbosae non solum difficulter, sed etiam tarde exoriantur et dispareant. Scleroticae inflammatio, si revera obtineat, ad rarissimas ergo morbi formas pertinet, quae oculum afficere possunt.

Quod alii antea hoc nomine salutabant, minus recte scleroticae inflammatio dicitur, sed telae cellularis, sub conjunctiva sitae et arcte cum externo scleroticae plano conjunctae, quod accurato, lentis ope instituto, examine distincte appareat.

Dr. Ruete, (in suo libro de ophthalmologiâ pag. 404) inquit; Ich meines Theiles glaube, da es mir nie gelungen ist, weder durch mechanische Verletzungen noch durch Aetzmittel, noch durch Electropunctur eine Entzündung der sclerotica selbst bei Theiren hervorzubringen, das

bei der sogenannten scleritis dia Entzündung in einer oder in beiden der genannten Scillegewebsschichten wurzelt, und das die Veränderungen, welche bei fibrösen Fasern der Sclerotica selbst im Verlaufe der Entzündungen erleiden, nur die secundären Folgen der Einwirkung des durch die Entzündung veränderten Blutes und der chemischen und mechanischen Einwirkung der Entzündungssecrete sind.

Deinde choroïditis exoriri posset. Est choroïdea illa oculi pars, in qua longe plurima vasa et nervi conjuncta sunt, quae itaque omnes inflammationis conditiones in se continet. Vir clarissimus Schroeder van der Kolk, (Journ. für Chir. u. Augenheilk. von v. Walther und v. Ammon. Bd. XXXII. H. I.) ait: Partium oculi internarum, pathologico sensu, si retinam excipias, nulla est majoris quam choroïdea momenti.

Inflammatio, quae saepissime depressionem peractam sequitur, est iritis et quae sequuntur, uti hypopyon, pseudo-membranae in pupilla et atresia pupillae, ect.

Jam antea animadvertisimus, durante operatione, lentem omnino vel partim in cameram oculi anteriorem cadere posse, qui casus etiam post operationem obtinere potest. Ita narrat Desmarres, (Traité des maladies des yeux pag. 573) hoc apud unum se eorum, in quibus operationem instituerat, observasse, qui vehementer tussi vexabatur et apud quem etiam synchysis aderat. Lens viginti quatuor horis post depressionem per pupillam processerat.

In alio casu idem exoriri vidit tribus annis post reclinacionem et saepe post tempus longius praeterlapsum.

Amaurosis saepissime depressionem sequitur, raro tamen eo tempore, quo lens in humore vitreo deprimitur. Desmarres

tamen observat, nonnulla hujus rei exempla occurrisse.
Ut plurimum hic morbus diu post operationem exoritur.

Cavendum tamen est secundum Desmarres, (in opere ejus jam citato pag. 575) ne amaurosin habeamus vulgo retinæ paralysin, per nimis profundam cataractæ in oculo depressionem ortam; quod sine dubio fieri potest, sed ad exceptiones pertinet. Semper fere, ait, apud hanc complicationem lentem crystallinam, alte reclinatam et nondum resorptam in camera oculi posteriore morantem vidi.

Talem casum auctor citatus apud ligneorum calceorum fabrum ex oppido Saint-Germain observabat, cuius oculum sinistrum operaverat et apud quem per duos annos cataractæ fluctuationem pone iridem animadvertebat. Hoc corpus subinde exiguum inflammationem efficerat, et minime dubito, inquit auctor, quin amaurosis origo, quae diu post operationem exstitit, hac in re causam habuerit. Cataracta, si adsit, ita pergit, amaurosin efficit alio modo, nempe ansam dando doloribus neuralgicis circum orbitam, qui saepe symptomata prodromum evadunt affectionis oculi maxime timendae, scil. glaucomatis.

Oculi ruptura rarissime occurrit. Talem casum notavit M. Lisfranc in Clinico Dupuytreni. Die operationem sequenti, matutino tempore, conjunctiva paululum inflammata fuit et die tertio rupit oculus, sed causa nequaquam detegi potuit.

Suspicatur hunc casum nimis abundante humoris aquei secretione ortum fuisse 1).

1) Dupuytren, Leçons orales de clinique chirurgicale, faites à l'Hotel-Dieu de Paris, receuillies et publiées par M. M. les docteurs Brierre de Boismont et Marx, 2e édition, 1839, 6 vol. in 8^o, tom. III. pag. 305.

Alium casum Desmarres notat in opere citato,
pag. 574.

Phlegmone tandem oculi atque atrophia etiam depressione effici possunt.

C. Quod attinet ad universum corporis organismum.

Consecutiones, quas depressio in universo organismo habere potest, hic etiam, uti antea, commodi causâ dividimus.

1º. In censem veniunt consecutiones, quae exoriri possunt, dum operatio peragitur.

2º. Quae post illam peractam obtinere possunt.

I. Noxae, quae exoriri possunt, dum operatio peragitur.

Pro longe maxima parte noxae illae iis tribuendae sunt, qui operationem subeunt, dum operator ipse non nunquam, si non omnino praevenire, partim tamen eas moderari potest.

Aegri irritabiles et trepidi facile, dum operantur, inquieti fieri possunt, valde se movent, a sede surgere volunt, tussiunt, sternutant et ita porro; vel oculi muscularum spasmo afficiuntur, vel syncope aliisque affectionibus vexantur, quod praecipue apud puellulas vel apud mulieres timendum est, apud quas elementum ita dictum hystericum locum obtinet; in multis casibus operatorem has affectiones moderari posse, non dubitandum est.

Generatim assumendum est, has operatori tam mo-

lestas affectiones magis apud mulieres, quam apud viros occurtere, quia animi pathemata apud illas facilius excitantur.

2º. Casus, qui post operationem exoriri possunt.

Persaepe etiam post operationem actiones abnormes in systemate nervoso observantur, imprimis apud sensibles, debiles vel hystericas et ita apud hypochondriacos, uti vomitus, cephalalgia, horripilationes totius corporis, cet.

Saepe etiam debiles, qui ante operationem valde timebant, uno, duobus vel pluribus diebus post operationem symptomatibus febrilibus levioribus afficiuntur, nonnunquam cum gastrismo complicatis.

Si post operationem oculi inflammatio vel circa oculum exstitit, et si aeger valde plethoricus est, non raro universa reactio appareat, et febris inflammatoria cum omnibus symptomatibus observatur.


Aliorum casuum, qui exoriantur, plurimorum causa in alia organismi parte, non in oculo quaerenda est.

Ita e. g. apud cataractae operationem in hospitio diacinarum, quod dicitur, Ultrajectino adfui. Mulier, sexaginta et quod excurrit, annos nata, in utroque oculo cataractam habebat. Vir clarissimus L. C. van Goudoever in utroque oculo depressionem et quidem optimo cum successu efficiebat. Animi pathemata hic nequaquam adfuerant, Mulier, exceptis doloribus colicis saepe vehementissimis, per vigenti quatuor horas, aut diutius quoque perdurantibus, irregularibus intervallis redeuntibus, et alvi

obstipatione continua, licet debilis esset, tamen satis prospera valetudine fructa erat. Brevi post operationem, leviore inflammatione sinistri oculi orta, felici cum eventu hirudines quatuor tempori apponuntur, et sex calomenos grana, refracta dosi propinuant; quibusdam diebus post salivatio satis magna oriebatur cum intumescentia oris mucosae vehementi, ita ut deglutitio valde prohiberetur; jam admodum extenuata aegrotans paulo post doloribus colicis vehementissimis corripitur et brevi collapsus oritur universalis exitu eheu mortali. Autopsia viginti quatuor horis post mortem peractâ, notabilis valvulae mitralis stenosis cum muscularum papillarium rigiditate et dextri cordis dilatatione observabatur. Dum vivebat, nunquam de cordis palpitationibus questa fuerat, ita ut hoc non animadverteretur; etiam inveniebatur notabilis strictura in colo transverso, coloque sinistro.

Duos casus, in quibus post cataractae operationem mors secuta est, notat L. A. Desmarres. (*traité des maladies des yeux*, pag. 575, 576, 577).

Ceteroquin non nimium contendere credo, si dicam, cataractae operationem vitae longitudini non afferre si nempe casus improviso non appareat.



CAPUT II.

DE LENTIS EXTRACTIONE.

§ 1.

Descriptio operationis.

Chirurgo hanc operationem instituturo, lentem opacam non solum e pupillae plano, sed etiam ex oculo amovere propositum est aperturâ in oculi bulbo, sive in cornea, sive in scleroticâ factâ, Quod attinet ad extractionem per scleroticam (scleroticotomiam), chirurgici Angli, B. Bell et Earle cataractam incisione circiter trium linearum in sclerotica facta, duabus lineis a corneâ remotâ apud canthum oculi externum, extrahere primi proposuerunt.

Cura tamen, quae hic maxime requiritur, ne nervi vel fibrae ciliares laedantur, neque oculus humores suos amittat et adhuc plurium membranarum texturaeque magis complicatae oriatur laesio, ut scleroticotomia prorsus rejiceretur, effecit.

Ut jam antea vidimus, keratotomia longe abest, ut nova inventio salutari possit. Praecipue tamen Davielo, (Daviel, sur une nouvelle methode de guérir la cata-

raete, par l'extraction du cristallin. Mémoires de l'Academie de chirurgie, tom. II, pag. 337 edit. in 4o. 1753) chirugo Gallo-Franco, honor tribuendus est, qui lentis per corneam extractionem ad singularem methodum adduxerit.

Quid tempore postremo demum in Galliâ Wenzel, in Germaniâ Richter et Beer, in Italiâ Scarpa, et in Angliâ Taylor hac in re praestisterunt, pervulgatum est.

Tribus modis extractio per corneam fieri potest, prout cornea inferiora versus, oblique vel sursum finditur: keratotomia inferior, obliqua et superior.

Apud extractionem fere eadem praeparatio, quae apud depressionem jam ante descripta est, obtinet. Ubi tamen extractio locum habebit, antea bene chirurgo persuasum sit, necesse est, iridem ab adhaesionibus cum capsula liberam esse, neque adeo adesse synechiam posteriorem.

Aegrotantis, chirugi et adjutoris collocatio, dum operatio peragitur, eadem etiam est, ac jam notata. Minister tamen maxime caveat, ne oculi bulbum premat, quum palpebram superiorem elevatam tenet.

Nonnulli operatores extractionem peragere suadent, quum aeger supinus in lecto recumbit, primo ut eo melius capitis retrahendi motus prohibeantur; secundo ut humoris vitrei effusio praeveniatur.

Haec autem provisio, etsi interdum laudanda, in genere nequaquam requiritur.

Nunc quidem operationem, de qua sermo est, accuratius consideremus et primo quidem:

A. *Keratotomiam inferiorem.*

Tres in ea partes dictinguuntur:

1. Corneae incisio (keratotomia).
 2. Incisio lentis capsulae.
 3. Lentis ex oculo amotio per apertam lentis capsulam et corneam.
-

I. *Incisio corneae* keratomi ope efficitur. Varias, quas hoc etiam instrumentum induit, formas hic describere, longius a proposito me abduceret; praeterea in quovis compendio descripta sunt. Potius boni keratomi proprietates notabo.

1. Rectum, non crassum, sed obtusum dorsum habeat, necesse est.
2. Acies perfecta sit, recta linea decurrentis usque ad posteriorem partem, vulgo rotundam factam.
3. Apex lanceolatam formam habeat.
4. Utrumque cultri latus non planum sit, sed leviter convexum, quae tamen convexitas apicem versus sensim diminuatur. Apex ipse sit tenuissimus.
5. Keratotomus ex optimo chalybe confectus, ne nimis flexibilis, neque nimis rigidus sit.

Beerii vel Richteri kratotomus; cystotomus vel simplex cataractae acus ad aperiendam capsulam; Davieli cochlearculum vel Beerii spathula ad cataractae reliquias e camera oculi anteriori extrahendas; parva, in plano curvata, forfex ad incisionem in corneam, si opus est, dilatandam, uncilla ad capsulae reliquias extrahendas: en instrumenta apud extractionem necessaria.

Keratotomus nunc inter pollicem, digitum indicem et medium, tanquam calamus scriptorius, sumitur; digitus annularis introrsum flectitur, et digitus minimus ossi zygomatico imponitur. Culter ita teneatur ut acies deorsum vertatur.

Cultri apex $1\frac{1}{4}'''$ supra diametrem transversam corneae, prope ejus marginem externum, corneae imponitur, et levi pressione facta, ut facilius eam perforet, neque inter ejus strata maneat, perforata cornea in cameram anteriorem pervenit.

Horizontali dein directione cultrum per cameram anteriorem ducitur et opposito latere, ad eandem a margine distantiam ($1\frac{1}{4}'''$) corneam iterum perforat.

Deinde keratotomus, semper aequa distans ab iride, versus nares vehitur, donec maxima incisionis pars peracta est.

Quo magis incisio ad finem vergat, eo lentius culter moveatur, et quum nonnisi exigua pars est persecanda, brevi quiete fruendum, ut oculi musculi quiescant, neque prolapsum efficiant; deinde ultima pars, keratomo retrahendo, persecanda est.

Eodem tempore, quo incisio corneae peracta est, adjutor palpebram superiorem cadere faciat, quâ re prima operationis pars perfecta est.

2º. Incisio lentis capsulae.

Postquam oculus brevi quiete fructus est, palpebra superior prudenter iterum levatur, ita tamen ut oculi bulbus minime attingatur, dum operator digito suo indice palpebram inferiorem detrahit atque simul

inferiorem oculi bulbi partem aliquantum premit ut segmentum corneae paululum relevetur et cystotomus facile induci possit. Cystotomus nunc transversus ante oculum et ita contra inferiorem marginem segmenti corneae apponitur, ut apex versus canthum oculi internum et acuta atque hebes hujus instrumenti pars infra et sursum versus directa sint. Quo facto operator, manubrium infra versus ducens, dorsum instrumenti sub corneae segmento sursum dicit, ita ut apex mediâ in pupilla appareat.

Deinde apex versus anterius lentis capsulae planum dirigitur, capsula lentis pluribus incisionibus diversa directione decurrentibus finditur, quo facto cystotomus, eadem directione, qua inductus est, retrahitur sine quod corneae segmentum sublevatur; quibus peractis tertia operationis pars init.

3º. Lentis ex oculo amotio per apertam lentis capsulam atque corneam.

Vulgo lens muscularum oculi contractione, margine suo inferiore in pupillam et sub corneae segmentum penetrat. Quod si non sponte fiat, lens vulgo prodit, oculo sursum verso.

Si tamen nunc nondum fiat, operator digito indicatio inferiorem oculi bulbi partem leniter premat, donec lens se ostendat. Si extra pupillam apparuerit, ut facilius exeat per corneae incisionem, efficiat, segmento parvo Davieli cochlearculo aliquantum attollendo. Quum tamen in hocce easu aliquid lentis substantiae margini-

bus vulneratis adhaereat, spatula supra memorata hoc prudenter amoveatur. Simulac cataracta ex oculo prodierit, adjutor palpebram superiorem prudentissime claudit et aeger oculum tranquillum tenere jubetur.

B. *Keratotomia obliqua.*

In hac operandi ratione cornea oblique a superiore inde parte ad inferiorem usque keratotomo perscinditur. Desmarresio 1) teste, Wenzelius, pater, primus hoc modo extractionem instituit, quem postea Demours et Roux secuti sunt.

Operationis tempora, apud keratotomiam inferiorem jam supra notata, hic etiam observanda sunt.

Corneae incisio oblique a superiori inde parte ad inferiorem et ab externâ parte ad internam peragitur et quidem eadem prorsus ratione, qua keratotomia inferior perficitur.

Duorum sequentium temporum descriptionem hic omitto, ne repetitionis inutilis crimen mihi adferam, quia omnino eodem modo, quo keratotomia inferior, peraguntur.

Keratotomia obliqua hodie prorsus negligitur.

C. *Keratotomia superior.*

Secundum Desmarresium 2) Richterus extractionem

1) Opere laudato, p. 609.

2) Op. cit. p. 609.

hoc modo perficere primus proposuit, sed Busnau, de Tournay atque Wenzelius, pater, primi fuerunt, qui operationem hoc modo in vivo homine instituerint.

Nostro tempore imprimis Fr. Jaegerus keratotomiam superiorem, utraque alia incidendi methodo exclusâ, instituit.

Varia operationis tempora universe hic eadem sunt, quae in keratotomia inferiore. Culter paululum infra diametrum transversam corneae, circa $1/3'''$ ab ejus margine remotus, infigitur.

Keratotomia superior difficilior habetur, quam inferior, non tantum quia oculus facilis in internum oculi canthum premitur, sed praesertim quia facilis sub palpebram superiore se occultat, quo itaque facile laedi posset. Nihilominus multa commoda praebet.

1°. Palpebra corneae vulnus non stimulare nec igitur sanationem impedire potest.

2°. Cicatrix palpebra superiori obtegitur.

3°. Pupilla artificialis, si forte postea facienda est, melius effici potest.

4°. Lens tardius apparet et minus facile prolapsus iridis atque corporis vitrei sequuntur.

Quae de sequelis extractionis typographi errore inveniuntur pag. 41, 42 et 43, subjungi debent capiti secundo.

CAPUT III.

QUID DOCUIT EXPERIENTIA DE EVENTU
UTRIUSQUE OPERATIONIS?

Ad hanc quaestionem numeris respondere conabor.
Referam nimirum eventum, quem et depressio cataractae
et ipsius extractio habuit, a variis chirurgis in definito
aegrotantium numero factae.

I. Eventus extractionis cataractae a Cl. Roux institutae in 32 aegris 1).

Numerus operationum. Eventus.

32	in 7 optimus, » 22 mediocris, » 3 lethalis.
----	---

32

1) Cf. Schmidt's Jahrbücher der gesammten Medicin, 1839,
Bd. 23, s. 101.

II. Eventus extractionis cataractae a Walczewski factae in 40 aegris 1).

Numerus operationum.	Eventus.
40	in 7 infelix,
"	3 medicus,
"	30 bonus 2).
	40

III. Eventus tum depressionis, tum extractionis cataractae a doct. Sichel in 100 oculis factae 3).

A. Numerus extractionum.	Eventus.
54	in 41 optimus,
"	5 medicus,
"	8 tristis.
	54

B. Numerus depressionum.	Eventus.
46	in 38 optimus,
"	5 medicus,
"	3 tristis.
	46

IV. Magna omnino analogia observatur inter even-
tum operationum ultimo loco denotatum atque inter ta-
bulam sequentem a Cunierio datam 4).

Numerus operationum.	Eventus.
99	in 81 optimus,

1) Annales d'Oculistique publiées par le docteur Florent Cunier, 10e année, tome XVII, pag. 39.

2) „Trente ont donné,” inquit, „tout ce que l'on pouvait raisonnablement espérer de succès;” quae tamen verba me judice admodum vaga sunt.

3) Cunier, Annales d'Oculistique, 9e année, tome XVI, p. 88.

4) Cunier, Annales d'Oculistique 9e année, tome XVI, p. 85.

in	12	mediocris.
----	----	------------

»	6	tristis.
---	---	----------

<hr/>
99

V. Idem tabulam citat casum 1011 cataractarum, quibus curam adhibuit vir clarissimus Jaeger, in clinico ophthalmiatrico Viennensi inde ab anno 1826 usque ad annum 1844.

Extractiones keratotomia super: 728

»	infer:	9	Eventus.
---	--------	---	----------

Numerus extractionum	737	in 33 mediocris.
--------------------------------	-----	------------------

Extractio partialis	58	»	3	»
-------------------------------	----	---	---	---

Lentis discissio	87	»	6	»
----------------------------	----	---	---	---

Reclinatio	129	»	21	tristis.
----------------------	-----	---	----	----------

<hr/>
1011

<hr/>
63

VI. Eventus tum depressionum tum extractionum cataractae, praecedenti anno Viennae perfectarum 1):

A. Numerus depressionum. Eventus.

62	in 31 optimus,
----	----------------

»	27 mediocris,
---	---------------

»	4 nullus (2 amaurosis).
---	-------------------------

<hr/>
62

B. Numerus extractionum. Eventus.

38	in 7 optimus,
----	---------------

»	17 mediocris,
---	---------------

»	9 nullus (1 amaurosis).
---	-------------------------

<hr/>
38

VII. Liceat mihi ultimo loco afferre cataractae casus a

1) Zeitschrift der k. k. Gesellschaft der Aerzte zu Wien, a^o. 1852.

praeceptore aestimatissimo, viro clarissimo L. C. van Goudoever, operatione curatos, paucis exceptis, in clinico chirurgico Academiae Rheno-Trajectinae.

1. — C. Offerhuizen, 58 annos natus, in oculo dextro cataractam lenticularem habet cum synechia posteriore, non valde extensa. Depressio instituitur (m. Junii Aⁱ. 1849) optimo eventu.

2 et 3. J. H. Quint cataractam lenticularem in utroque oculo habet. Synechia posterior non adest. Mense Maji Aⁱ. 1850 depressio in utroque latere instituitur, bono cum successu. Aliquo tempore post operationem institutam culpâ aegrotantis oriebatur blepharconjunctivitis, difficillime superanda. Quum decem mensibus post domum rediit, parvas res utroque oculo bene distinguere poterat; postea vero chronica inflammatione pupilla dextra sensim valde contracta est, ita ut visus ex hoc oculo nullus fere sit; oculo sinistro vero bene videre potest.

4 et 5. — J. van Manen, 68 annos natus, cataractam in ambobus oculis habet. Mense Junii 1850 oculus sinister depressione curatur bono cum eventu; mense Octobris ejusdem anni eadem operatio in oculo dextro instituitur, itidem felici eventu.

6 et 7. — Gradus Koopman, 34 annos natus, utriusque oculi cataracta bono successu scleroticonyxi curatur die 27. Nov. 1850, ita ut iterum bono visu gauderet.

8 et 9. — Vidua J. Hoogstraten, 62 annos nata, cataractâ lenticulari utriusque oculi laborans, die 3 m. Dec. 1850 utroque latere scleroticonyxi curatur. Dum oculo dextro deinceps bene videbat, visus oculi sinistri

non tam bonus erat; nihilominus cum eo minores etiam res bene distinguebat.

10. — Matthaeus Baams, 25 annos natus, cataracta lenticulari in oculo dextro laborans, die 5 m. Febr. 1851 per extractionem (keratotomiam inferiorem) curatur, et quidem bono effectu, licet pupilla formam regularem amiserit.

11 et 12. — Mulier Brink, 64 annos nata, cataractam lenticularem utriusque oculi habebat. In utroque oculo depressio felicissimo eventu facta est (m. Mart. 1851).

13 et 14. — Mulier van Gorkum, 55 annos nata, per aliquot annos jam cataracta utriusque oculi laboraverat. Operatio per depressionem fit die 21 m. Aug. 1851, et quidem in oculo dextro optimo, in sinistro satis bono eventu.

15 et 16. — W. de Paus, 24 annos natus, cataracta utriusque oculi laborabat. Die 1 m. Oct. 1851 operatio per scleroticonyxin in utroque oculo instituitur bono cum eventu; iridis autem inflammatione clandestine decurrente et diu perstante effectum est, ut utraque pupilla parva sit facta, et irregularis, et visus minus bonus; attamen res non nimis parvas bene videre potest.

17. — Hendrika van Randen, 49 annos nata, oculi sinistri cataracta laborabat. Die 20 m. Oct. 1851 depressio instituebatur, quac bene succedit. Visus autem non restituebatur ob amaurosin, jam ante operationem institutam suspicatam.

18 et 19. — Mulier Lamars, 65 annos nata, cataracta lenticulari utriusque oculi laborat. Die 9 m. Dec. 1851 depressio in utroque oculo instituitur; in oculo si-

nistro optimo eventu, in oculo dextro mediocri successu.

20 et 21. — Lutje Broekhuizen, 19 annos nata, cataracta utriusque oculi jam per sex annos laboraverat. Die 16 m. Junii 1852 depressio instituitur; in utroque oculo felici admodum eventu.

22. — Mulier van Schaik, 62 annos nata, cataracta lenticulari sinistri oculi affecta erat, cum synchysi. Die 3 m. Julii 1852 depressio fit bono cum eventu.

23 et 24. — Van der Veen, 66 annos nata, cataracta lenticulari in ambobus oculis laborat. Die 8 m. Oct. 1852 depressio instituitur. Operatio bene successit, ita ut fere nullum dubium remaneret, quin postea bene videret, nisi quarta post operationem superveniente morbo extincta fuisset, uti jam antea monuimus.

Ecce tabella harum operationum.

Numerus operationum 24.

Depressiones felici eventu factae	16
mediocri "	5
sine effectu (amaurosis)	2
Extractio bono effectu	1
	24



DE SEQUELIS OPERATIONIS.

A. Quod attinet ad oculum.

Uti jam antea, ubi de depressione sermo erat, de casibus adversis, qui dum operatio peragitur et post illam peractam, exoriri possunt, locuti sumus, ita quoque de iis videndum, quae apud extractionem et post eam accidere possunt. Itaque hic quoque distinguimus:

- 1º. casus, dum operatio peragitur,
- 2º. casus, post illam peractam.

I. Casus adversi, qui, dum operatio ipsa peragitur, exoriri possunt.

Fieri potest, ut keratotomus vel altiori vel inferiori, quam par est, loco infigatur; keratotomus inter corneae strata remanere potest; quod si fiat, non splendidus, sed fuscus appareat, neque humor aqueus effluit. In tali casu keratotomus retrahatur et iterum infigatur.

Si oculus valde inquietus et ita ut keratotomus jam infixus recedat, iterum infigendus est; vel si hoc fieri nequit, oculus claudatur.

Oculus saepe, dum keratotomus promovetar, tam profunde in canthum oculi internum recedit, ut cornea non amplius videatur; qualis status, si non brevi tempore

mutatur, incisio tamen perficiatur; summa autem cura est adhibenda, ut keratotomus aequalem ab iride distan-
tiam habeat.

Perforato opposito corneae margine, oculo quemlibet
statum dare possumus.

Oculo vero in canthum internum tantopere recedente, ut
contra-punctio, quaedicitur, nullo modo fieri possit, nihil
aliud remanet, quam cultrum extrahere et corneae incisi-
onem forficiis ope perficere, ut ita operatio peragatur.

Saepe post corneae strata perfecta conjunctiva scleroticae
dissolvitur, quod tamen nihil valet. Corneae incisio si
forte justo minor est, forfice dilatari potest. Iride vul-
nerata, haemorrhagia oriri potest.

Quum capsula aperitur, evenire potest, ut pupilla
magnopere coarctetur, et lentis exitus valde difficilis
sit; etiam iris et corpus vitreum, ut non raro obtinet,
prolabi possunt.

Si cataracta hoc aliove loco adhaeret, ita ut non ap-
pareat, dígito vel cystotomo leniter oculus prematur,
quo facto, si nondum apparet, iridectomia instituatur.

Si cataracta, dum exit, in particulas dissolvitur, et
earum nonnullae in camera oculi antēriori remanent,
oculus claudatur; humore aqueo autem pro parte restituto,
leves frictiones in palpebra superiori, quae saepe suffici-
unt ad exitum particularum promovendum; si vero non
sufficiunt, arte amovendae sunt.

Particulae tamen, si exiguae sint, potius relinquantur,
ut humore aqueo solvantur. Cum lente etiam
iris propelli potest et ita iridis prolapsus atque etiam
humoris vitrei effluxus obitinere. Tertia humoris vi-
trei pars, quin major quoque, sine damno deperdi po-

test; si quantitas longe major effluit, facultas videndi amittitur.

II. Casus adversi post operationem peractam.

Praecipui, qui operationem peractam continuo sequi possunt, casus sunt hi: humorum effluxus ex oculo per muscularum contractionem vel per fortes commotiones; aëris introitus in oculum; haemorrhagia in camera oculi anteriori. Fieri porro potest, ut corneae segmentum collabatur aut loco suo removeatur per iridis prolapsum, vel per palpebram inferiorem interpositam, quo sanatio per primam intentionem impeditur, unde in hominibus cachecticis postea suppurationis cum inseguente hypopyo spurio obtinere posset.

Sex denique vel octo horis post operationem oriri possunt conjunctivitis, hernia iridis et iritis cum suis sequelis.

B. Quod attinet ad universum corporis organismum.

Sequelae, quas extractio in universo corporis organismo habere potest, fere eadem sunt, ac illae, quae depressionem interdum sequuntur. Animadvertisendum tamen est, fortes commotiones, vomitum, cet, hic multo plus damni afferre posse, quibus nimis humores facile ex oculi effluere possint, quod, depressione facta, locum habere nequit.

CAPUT IV.

CONCLUSIO.

Superest, ut investigemus, num effici possit, quae-nam e propositis cataractae curandae methodis praeferri mereatur. Quod ut rite fiat, primo loco eventum consideremus cum depressionis, tum extractionis in definito aegrotantium numero, supra jam commemorato, hic vero iterum in conspectu ponendo.

Numerus depressionum.	Eventus.
46 (Sichel)	in 85 optimus
62 1)	» 37 mediocris
23 (Vir. Clar. L. C. van Goudoever).	» 9 infaustus.

131	131
Numerus extractionum.	Eventus.
32 (Roux)	in 86 optimus.
40 (Walczewski)	» 47 mediocris
54 (Sichel)	» 27 infaustus.
33 2)	
1 (Vir Clar. L. C. van Goudoever).	

160 160

1) Zeitschrift zu Wien, 1852, Carl Stellwag von Carion.

2) Ibidem.

Quamquam major in tabulis hisce numerus est depressionum quam extractionum, quae felicem habuerunt eventum, minor vero earum, quae infaustum, longe tamen abest, ut ex his concludi possit, depressionem cataractae praferendam esse ipsius extractioni. Evidem potius crediderim, nihil circa relativum, quem vocant, utriusque operationis valorem ex tabulis illis effici posse. Primum nimirum ad talem conclusionem longe major requireretur operationum numerus. Dubitari porro posset, num in omnibus, quos recensuimus, casibus eventus operationis eo demum tempore faustus fuerit dictus, quo plena hujus rei haberi posset certitudo. Necessarium denique esset, ut eventus cognosceremus cum extractio-
nis, tum depressionis cataractae in definito numero aegrotantium, in quibus nulla specialis fuisse vel unius vel alterius operationis indicatio. Egregie hac de re Cunier 1).
 » Pour que ces chiffres eussent quelque valeur, il faudrait qu'ils n'appartinssent qu'à des cataractes, qui pouvaient indifféremment être opérées par l'abaissement ou par l'extraction; un utile parallèle entre les deux méthodes s'en déduirait seulement alors. »

Sequitur ut secundo loco argumenta perpendamus, quae cum pro utraque operatione, tum contra easdem afferri possint.

Nonnulli extractionis laudatores contendunt, depressionem faciliorem esse ideoque a multis praferri; angustum palpebrarum fissuram, profundum oculorum situm, alia, quae secundum eos, qui depressionem praferunt, extractionem vel impossibilem vel difficillimam reddunt, me-

1) Annales d'Oculistique tome IX. pag. 187.

ticulosos tantum et imperitos, nequaquam vero audaces et expertos, quominus extractionem perficiant, impedire. Fieri potest, ut sint, in quos valeat illa reprehensio; in genere profecto injusta est. Jure quoque dubitari potest, num extractio majoribus prematur difficultatibus, quam depressio, omni, qua opus est, cura peracta.

Qui fabricam oculi cognoscit, lubens, credo, mihi assentiet statuenti, vulnerationem oculi in depressione longe minus gravem esse quam in extractione. Post extractionem sine felici eventu peractam, in permultis casibus penitus deletur oculi structura, quod rarius accidit post depressionem. Hac facta, vel si inflammatio accedat, postea saepe emendari potest conditio per novam operationem. Cacterum verum est, chronicae inflammationis periculum majus esse post depressionem quam post extractionem.

Noxae, quas tussis, sternutatio aliquique corporis motus in iis, quibus cataracta extrahitur, facile producunt minus metuenda sunt in depressione. Nulla ab hac operatione manet cicatrix in cornea; at fieri potest, ut post aliquod temporis intervallum lens depressa resurgat. Post extractionem iritis metuenda est, scilicet quum lens sive dura sive magna pupillam transiens iridem laedit. Nec rara est ab extractione iridis in corneae cicatrice veluti incarceratio et notabilis adeo pupillae distorsio.

Sunt, qui extractionem cataractae curam radicalem dicant, quandoquidem amovetur lens opaca et amota non amplius nocere, choriodeitidem nempe, retinitidem vel inflammationem corporis ciliaris producere potest. At nonne eodem jure depressio curae radicalis titulo potest ornari, sicubi lens absorptione remota fuerit?

» Si l'on me demandait, inquit Desmarres 1), quel procédé je préfère pour opérer la cataracte, je répondrais sans hésiter que l'extraction, selon mon opinion, doit tenir la première place, et qu'il faut l'employer comme méthode générale, mais je me hâterais d'ajouter qu'on ne peut l'appliquer indistinctement à tous les cas, et qu'il en est tel où il convient de recourir à l'abaissement ou à un des autres procédés.”

» On a long-temps disputé, ait Scarpa 2), pour savoir laquelle des deux méthodes méritait la préférence; et, dans la chaleur de la discussion, on a exagéré de part et d'autre les avantages de l'une et les inconvénients de l'autre. Enfin, l'observation impartiale, l'expérience, qui décident de tout, semblent avoir prononcé en faveur de l'ancienne méthode de traiter la cataracte, c'est-à-dire, en faveur de la dépression,” cet; atque pag. 66 ejusdem operis pergit: » Il y a, déjà long-temps que j'ai abandonné la méthode de l'extraction pour ne plus pratiquer uniquement que celle par dépression; j'ai même des motifs puissants et constants d'être content de la résolution que j'ai prise.

Dubois et Brücke, qui olim, et quidem per 25 deinceps annos, extractione utebatur, depressionem praeferunt; Wenzel contra et Roux extractionem, nec nimium contendere mihi videor statuendo, plerosque chirurgos ex praejudicata quadam opinione unam alteri curandi methodum praeferre. Vulgo quidem vestigia sequuntur

1) Desmarres in opere laudato pag. 655, 656.

2) Traité pratique des yeux; tome II. pag. 65.

magistri, quem, si saepius viderint cataractam feliciter sive deprimenter sive extrahentem, ipsi solent vel depressionem vel extractionem in aegris sibi commissis adhibere. Quae quidem consuetudo, licet et facilem habeat intelligentiam et honestam excusationem, obstat tamen, siquid video, comparativae utriusque methodi dijudicationi.

In multis casibus parum aut nihil intererit, num extrahatur cataracta an deprimatur, dummodo manu fiat exercitata. In multis aliis, ubi v. c. fissura palpebrarum perquam angusta est, ubi oculorum situs valde profundus, extractio et difficilior erit et minus faustus ejus eventus. Pupilla dilatari, quemadmodum oportet, nescia, lente prae magna vel dura, iris facile laeditur, nec magna spes esse potest felicis extractionis successus. Synchysis, synchia posterior extensa, maculae in cornea vel vetant extractionem vel certe minus commendabilem reddunt. In omnibus igitur his casibus depressio praferri meretur.

Ubi vero justus est ophthalmiae internae metus, ubi symptomata inflammatoria cataractam vel praegressa vel comitata sunt, ad extractionem refugiendum est.

Atque his quidem circumscribitur mea qualiscunque de praecipuis cataractae medendi methodis sententia. Quae si rei veritati contraria sit, solatio mihi erit proverbium illud: *errare humanum est.*

TANTUM.

THESES.

I.

Nostalgia medicaminibus sanari non potest.

II.

Indicatio venae secundae in peripneumonia e causis epidemicis fere nunquam pendet.

III.

Vaccinatio et revaccinatio, quamvis a nonnullis earum utilitas negetur, maxime sunt commendandae.

IV.

Si medicus dubitat, num angina membranacea an asthma acutum Millare adsit, ante omnia cura antiphlogistica est instituenda.

V.

Pessime agunt, qui suppressa catamenia semper emmenagogis revocare conantur.

VI.

Adspectus aegrotantium saepe multum confert ad diagnosis morbi faciendam.

VII.

Peccat medicus, qui eo semper tendit, quo vergit natura.

VIII.

Spirometri usus in arte medica non magnus habendus est.

IX.

Cataractae operatio, qua talis, vitae longitudini obesse nequaquam potest.

X.

Assentior Beerio dicenti : »C'est se tromper et tromper les autres que de vouloir opérer sûrement et heureusement toutes les cataractes par une méthode exclusive.”

XI.

Usum chloridi formyli in operationibus non valde
gravibus rejicio.

XII.

Amputatio febre hectica non semper contraindicatur.

XIII.

Matris conservandae causa, caput foetus vivi perfo-
rari licet.

XIV.

Errant, qui vim forcipis dynamicam negent.

XV.

Febris lactea nequaquam physiologica, quam vocant,
conditio est.

XVI.

Improbandi mihi videntur Artic. Cod. Poen. 309 et
311, quibus minores maioresve constituantur poenae,
prouti vulneratus intra viginti dies sanitatem vel recu-
peraverit vel non recuperaverit.

XVII.

Medicina forensis tum demum in civitate vere potest esse utilis, quando medici forenses speciales ad ipsius exercitium nominantur.

XVIII.

Recte Henke: »Selbst dann, wenn man in einer Höhle des Körpers eine zureichende Ursache des Todes gefunden zu haben glaubt, ist es dennoch ratsam auch die übrigen Höhlen zu öffnen.“
